



SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

N. 181/71

(In responsione fiat mentio huius numeri)

Romae, 10 decembris 1971

Reverendissime Domine,

Ad litteras Reverentiae Tuae die 18 octobris 1971 ad Pontificiam Commissionem Decretis Concilii Vaticani II interpretandis datas et ab eadem ad hanc Sacram Paenitentiarium transmissas, quibus quaesitum proponebas an possent Diaconi impertiri Benedictionem Apostolicam in articulo mortis antequam Viaticum administrent, haec Tibi, re mature perpensa, communico.

Benedictionem Apostolicam in articulo mortis cum adiuncta indulgentia plenaria impertiri possunt tantum sacerdotes et in eorum defectu providet concessio n. 28 novi Enchiridii Indulgentiarum (ed. 1968) quam infra, commoditatis causa, transcribo:

" Pia Mater Ecclesia, si haberi nequit sacerdos qui christifideli in vitae discrimen adducto sacramenta et benedictionem apostolicam cum adiuncta indulgentia plenaria, de qua in can. 468, §. 2 C.J.C., administret, benigne eidem, rite disposito, concedit indulgentiam plenariam in articulo mortis acquirendam, dummodo ipse durante vita habitualiter aliquas preces fuderit. Ad hanc indulgentiam plenariam acquirendam laudabiliter adhibetur crucifixus vel crux.

Conditio dummodo ipse habitualiter aliquas preces fuderit supplet in casu tres suetas condiciones ad indulgentiam plenariam assequendam requisitas.

Eandem indulgentiam plenariam in articulo mortis christifidelis consequi poterit, etiamsi eodem die aliam indulgentiam plenariam iam acquisiverit."

Supra relata concessio deprompta est e Const. Apost. Indulgentiarum doctrina, Norma 18"

Quae dum Tecum communico, quo par est obsequio me profiteor

Reverentiae Tuae

addict. mun. in D. no

J. Ferrel
Res.

Rev. mo Domino

D. FERDINANDO RETAMAL F.